



Ludouicus filius fuit Ludouici senioris ducis
Bauariæ, & Mechtildis filiæ Rodolphi Roma-
norum regis. Hic uix septennis patrem suum ami-
sit, & à matre honestissimè educa tus est. Vbi uerò
adoleuit, humanissimus princeps & omnibus a-
mabilis factus est. nam omnibus sese humanum ex-
hibebat, & obuios quosq; salutabat & alloqueba-
tur. Vnde maximum sibi passim fauorem contra-
xit. Natura erat prouidus & sagax, in periculis in-
fracto animo, & nulla unquam prosperitate intum-
escebat. Cum itaq; Heinricus septimus Impera-
tor in Italia ueneno sublatu sset, et Imperium per
tredecim menses uacasset, tandem anno 1314. in fe-

sto S. Lucae Franckforti principum conuentus de nouo Cæsare fuit habitus.
Tum autem duo Cæsares electi sunt consobrini, ita ut periculosum fuerit al-
terutrum cõtemnere, aut alterum alteri præferre. Hi erant noster Ludouicus,
& Fridericus Austriæ dux, Alberti Cæsaris filius. Attamen plura suffragia in
Ludouico conueniebant, nimirum Moguntinus & Treuerensis præfules,
præterea Marchio Brandenburgensis, & rex Bohemiæ. quanquam Bran-
denburgensis Valdemarus absens militem strenuum Nicolaum de Bock cū
suis literis eò ablegarat, in quibus Fridericum Cæsarem renunciarat. Verùm
is abrafa membran a, expunctoq; nomine Friderici, Ludouicum substituuit, li-
teris adulteratis. Ob quod etiam scelus postea domū reuersus fame necatus
fuit. Hac ratione Ludouicus quatuor suffragia nactus, Friderico alia tria Co-
loniensis, Palatini, & Saxonis reliquit. Vt itaq; Ludouicus se ritè electum cū-
ctis significaret, à singulis principibus, à quibus electus erat, statim literas im-
petrauit.